



Midius hic Meridianus est 17 reliqui ad hunc inclinatur pro ratione 39 & 42 parallelorum.

Leuce Hispanice
1 2 3 4 5 10 15
Milliaria Germanica
1 2 3 4 5 10 15

CASTILIAE
VETERIS
ET NOVAE
DESCRIPTIO

Anno 1606.

Regio.
Situs.
Soli ferti-
litas.
Vrbes.

Castella Nova, ad Septemtrionem adhærens Veteri, reliquis lætibus clauditur Portugallia, Exremadura, Andalu-
zia, Granada, & Valentia. Abundat Tritico alijsque Segeribus, ad utramque Tagi ripam sita. Nobilitarunt quondã
hanc Hispaniã partem *Karagruvov* Ptolemæo, *Karagruvov* Straboni: quos etiam Villanovanus & Moralis *Regnum To-*
letanum interpretantur *Karagruvov* vocat passim Polybius, ut & Livius; apud quem etiam, ut item apud Plinium *Car-*
petania legitur Regio. Metropolis Castellã Novã *Toletum*, ut Latini vocant, *Ἰσθμὸν* Ptolemæo: hodie *Toledo*. *Toleta-*
nos nominat Plinius: *Colonia Toletana* est in Nummis Augusti apud H. Goetzium: Serezolam etiam scribit appella-
tam fuisse Villanovanus ad Ptolemæum. De Conditonibus, nunc Hercule, nunc alijs quæ adferuntur, fabulosa ma-
gis sunt, quam vera. Centrum est & quasi umbilicus Hispaniã: Situs elevosus, inæqualis, & asperioris, ascensus ambula-
tionisque difficilis. Majorem partem adluit & contra hostes tuetur Tagus: qua Arctici spectat Polum, muris mun-
nitum est validissimis Turribusque cl; quarum auctorem memorant circa annum 1061 Bambam Regem,
quem etiam hos Versus in Turri quadam, nitido, lucidoque, marmore, insculpendos curasse, scribunt Rodericus
Toletanus Archiepiscopus lib. 111 de reb Hispaniã cap. xi, & in Chronico Ioannes Vassæus:

EREXIT, FAVTORE DEO REX INCLYTVS VRBEM
BAMBA, SVAE CELEBREM PROTENDENS GENTIS HONOREM.

Nobilium ingens in hac Vrbe numerus: Cives admodum sunt industrij. *Vrbis Regia* cognomen adeptum est
Toletum post adventũ Gothorum qui sedem Regni illuc transtulerunt, quum antea, ut Rodericus Toletanus tradi-
dit, ab Vandalis, alijsque Germaniã populis, qui una in Hispaniam commigrarant, Hispalis Vrbs Regia & vocata fue-
rit & habitata. Cum alijs amplissimis ædificijs, tum templo nobilitatũ augustissimo, pulcherrimo, ditissimo. Multa
Toleti Concilia leguntur celebrata, certe ultra xvii numerantur, quot alibi nunquam. Describunt *Toletum* Gome-
cius lib. vi de rebus Iacobi Aragoniã Regis, Navagierus in Itinerario, Petrus Medinensis, L. Marinus Siculus lib.
111 de Rebus Hispaniã. Toletũ ut Matrem Reginamque, suam venerantur *Madritum*, vulgo *Madrid*; Aeris situsque sa-
luberrimi, ubi Carolus v. Imperator dies paucos commoratus, Morbo Quartana, quo diu laboraverat, est liberatus.
Rebus omnibus abundans gratum nunc est Hispaniã Regibus Domicilium, incolis hinc plenum, multisque pri-
mariã nobilitatis & equestris dignitatis viris, illustribusque familijs nobilitatum, Silicem illi sunt in circuitu Lapidini-
cinã: unde *Cinctum Igne* cecinit Hispanus Poeta Ioannes Mena. Terminos habet latissimi mos, Camposque fertilissi-
mos, *Matricios Lumbos* appellant. Non procul hinc *Villamanta* est, quæ ut voluit B. A. Montanus, Tarapha & Villa-
mo. *Mexura* est Ptol. Carpetanorum in Tarraconensi Hispania Opidum. Quæ vulgo, voce Arabica, Hispanis ho-
die *Alcala de Henares* tam certo creditur *Ἰσθμὸν* Ptol. ut Latine etiam non aliter in publicis Actis & Monumentis
audiat. Sium est in loco plano, ad Fluvium, quem *Henarem* vocant, rerum omnium, quibus humanus usus indiget,
copia suisque proventibus adeo abundans, ut nullis aliunde bonis opus habeat. Ecclesia ibi, cuius omnes Canonici
sunt Theologi. *Segoncia* Antonino inter Complutũ & Casaraugustam medio fere itinere, *Segoncia* nunc appellatur
Varrerio & Morali iudicibus. *Alcantaram* in ripa Tagi scribant Varrerius & alij esse quæ *Νόβα Κουρδρα* Ptol. *Nor-*
bensis Colonia Plin. Opidum est insigni conspicuũ Ponte, venerandã & antiquitatis & maiestatis. Quæ *Talavera* nũc,
Livio *Aeburam* nominari opinantur Beuterus & Moralis. Sunt hic etiã *Cuenca*, *Caucenses* Plin. *Lebazuza*, Antonino
Libisosa, *Castana Lavera*, *Castulo* eidem Antonino. *Tagus* flu. Castellã novam irrigat cum alijs Amnibus ac rivulis in
cum cor currentibus, & in ea suos fontes habet *Anas* fl. nũc *Guadiana*. Sed de his satis, ad Opera publica venio. Quinta
Madrito leuca versus Occidentẽ conspicitur magnificum illud & sumtuosum Monasteriũ S. Laurentij in *Escoriali*
vulgo, Ordinis D. Hieronymi: Philippi 11 Hispaniarum Regis opus, quod merito certare potest cum *Ægyptiorum*
Pyramidibus, cum Veterum Græcorum Romanorumque Templis, Theatris, Amphiteatris, Ludis, Circus, Thermis
item, Balneis, Sepulchris, cum alijs denique variorum Regum & Principum Monumentis, Operi tanto vix quid est
par, vix quid secundum. Frontispicium ejus, Occasum spectans, tribus superbit portis: quarum quæ media primariã
que in Templum augustissimum, Cœnobium, Collegiumque ducit, quæ ad dextram, in Officinas Monasterio cõ-
secratas, quæ ad sinistram in Domo Scholæ destinatas. Quatuor Angulos totidem exornant mirabiles arte sua Tur-
res, quas etiam duæ superant, ad ipsius Templi pedem hinc inde factu quodam confluentes: Supra Oritium Templi
magnificã Stylobatã Statuas sustinent ex Marmore Tophoq; sex Izrahelitis Regũ, pedes altas xvii. Ad Septẽ-
trionem Palatium Templo aditum visitur, Regi Regioque Comitatu commodissime excipiendõ paratum. Ad
Meridiem variã sunt Porticus, Hortus omnis generis instructus Herbis Floribusque, & plurimis ornamentis, Poma-
rium gratissimis constitum fructibus: item Nosocomium, Pharmacopolium, & alia. Videre ibi est inter alia depictum
artificiose Confictũ inter Ioannem 11 Legionis Regem & Mauros Granatenses, extractum ex Linteõ cxxx pedũ,
quod totam Historiam cõtinens repertum fertur. Segoviã in pervetusta Turre. Quid si perest? quidquid ibi occurrit,
stuporem injicit spectanti: id eoque de ijs quæ dicenda restant, sũtere cum modestia præstat, quam ieiune pauca in me-
dium proferre. Est etiam Toleti celeberrimũ Palatium ab Carolo V restauratum, novisque structuris regio adpa-
ratũ exornatum: in quo, præter alia multa singularia, Machina visitur hydraulica, miro Italarum ingenio fabricata,
quæ ex Tago flumine opera magnã versatilis & excavatã rotã. Aquas in Fistulas & Tubos per Canales in summita-
tem arcis & Montis artificioso impetu cogit & impellit; ubi unum in locum & amplum receptaculum collectã in
varios Arcis Vrbsque totius usus dilapsã distribuuntur; quæ rivulos deinde & fontes Hortis, Magnatum ædibus, Bal-
neis, Fullonibus, Civiumque, necessitatibus abunde suppeditant. Pons ad Vrbe est super Tagum, quem unus Arcus
opere mitãdo sustinet. Est in Castellã nova Episcopus Toletanus quem Vrbanus 11 Pont. Max. Hispaniã totius in-
stituit Primatem. Est idem secundus ab Rege, Maximusque Regni Cancellarius: quo inconfulto, nihil fieri solitum,
nihil decerni. Sententiã statim dicit post Regem tantãque est non solum dignitatis & auctoritatis, verum etiam po-
tentia, ut sub se præter pagos in finitos Opida celebra habeat septemdecim, ex quæ ijs alijsque Vestigalibus Redium
annuum ducentorũ Ducatorum quæ quum Regibus parum grata, Viri plerumque, ut Rerum Hispanicarum Scri-
ptores produnt, mediocris quidem fortunã paucorumque Clientum, sed qui Virtutis Probitatisque spectata, ad hæc
dignitatem ex instituto Ferdinandi & Isabella Regum evehuntur. Academiã hic duæ sunt, *Complutensis* omnium
Disciplinarum Academiã celeberrima, qua nobilitatum est Complutum ab Francisco Ximeno Cardinali, Archie-
piscopo Toletano; cuius & auspicijs sumitibusque (qui superasse dicuntur lx millia Ducatorum) Biblia ibi edita, anno
clo lxxv, quæ ab loco *Complutensis*. Altera Toletana Academiã florens literarũ & sapientiã clarissima officina. Disci-
plo lxxv, quæ ab loco *Complutensis*. Altera Toletana Academiã florens literarũ & sapientiã clarissima officina. Disci-
plinis omnibus Artibusque Mechanicis in urbe Toletã magnus honos: Lanificio Sericoque vitam quarunt homi-
num millia fere decem. Castellani semper strenui animoque præstantes adversus hostes habitũ sunt. Fœmina quæ
que robuste planeque viragines sunt, laboris atque algoris patientes, supra quam cuiquam credibile est.

Flumina
Opera
publica.

Schola.

Opificia.



CASTILLA sive Castellã cui nomen ab Castello, quod Pelagus Rex, Legionẽ ab Mau-
ris recuperata, ut Propugnaculum, contra hostes extruxerat) quondã *Bardulia* dicta
fuit. Hanc duplicem faciunt Hispaniarum Delineatores, Veterem & novam, Veterem cir-
cumdant ad Boream Asturia & Biscaia; ad Occasum Portugallia; ad Meridiem Castella
Nova, Montibus qui fere per Longitudinẽ Hispaniã incedunt, intercurrentibus; ad Ori-
um Aragonia & Navarra. Regio fertilis Frugum, Vini, omnis generis Fructuum, Cro-
ci, & Animalium. Castellã autẽ Regno tale legitur fuisse initium. Pelagus crepta rur-
sum Mauris Legionẽ, Castellam quasi Propugnaculum adversus Barbarorum vim ex-
struxerat, cui qui Præfedi, *Comites Castellã* nuncupati, Regem Legionẽsem, ut Principẽ
diu agnovit usque ad Ordoniam II, decimum quartum Asturum, Legionisque Re-
gem: qui quum Comites Procereque Castellã per speciem Colloquij ad se evocatos obruncasset: Castellani pessimo
scelere indignati, projecto Regum Legionis jugo, ex suo corpore duos elegerunt Iudices Nenum Raturam &
Lainum Calvum unum, qui Iudicundo, alterum qui rebus Bellicis præset: quorum Liberi horumque; Posterii *Co-*
mites Castellã sunt appellati usque ad Sanctiam Majorem Navarra Regem, qui quum bello fortis Cordubam & To-
letum Saracenis eripisset, Mauros omnes Navarra, Aragonia, Castellã, Legionẽ, Portugallia, alijsque Hispaniã locis
exturbasset, totamque Hispaniam Christiano nomini restitisset, ducta Elvira Sanctij Castellã Comitiss filia, Garfias
que postremi Comitiss Sorore & ex Asse hæredẽ, Se dotis nomine non Comitẽ, sed Regem Castellã scripsit, Re-
gnumque ad Ferdinandum Filium, Legionis etiam Regno per Conjugem Sanctiam lo. upleratum, transtulit. Fer-
dinando successit filius Sanctius, huic Frater Alphonsus: cuius filia Vrraca (nam Stirps maicula objerat) quum, post
Raimundum Berengarium Tolosã Comitẽ, Alphonsõ Regi Aragoniã nupsisset, Aragoniã, Castellã & Legionis
Regna fuerunt unita. Metropolis Veteris Castellã *Civitas Burgenfis*, vulgo *Burgos*: *Ἰσθμὸν* putatur Ptolemæi. Vrbs
antiquissima, multisque rebus insignis, & inter primarias Hispaniã merito referenda, C. l. sub se habens minorum
gentium opida; magnis, pulchris commodisque ædificijs passim adornata; Foris venalibus, Plateis, Vicis, Pontibus;
Templis, Cœnobijs, Annibus exulta; ob incredibilem Incolarum cuiuscumque ætatis, sexus, conditionis, indu-
striã & diligentiam memoranda. Circumdant suam Metropolim jucundissimo commodissimoque situ: *Palencia*,
ad Carrionis marginem sita: *Palencia* Plinio, *Mela*, Ptol. & Appiano, *Pallantia* Straboni; *Peralancia* corrupte apud
Antoninũ. Hanc ab Rege Hispaniã Palatũ conditam quidam fabulantur. Hic olim Academiam fuisse volunt, quæ
nunc Salamantica. *Valdoledum*, Sedes olim Regiã; locus in amoenissima Pisuergã ripa, non Hispaniã solum sed Euro-
pã totius pulcherrimus, cui quæ Vrbs anteponat, non invenitur: agro beatus fertili: Forum ibi pulcherrimum
amplissimumque; cuius ambitus 1300 passuum; quumque multis alijs de causis hoc opidum valde sit nobilitatum
multo tamen magnificentius illud reddidit illustrissimus Philippi Regis Hispaniarum ortus. Vulgo *Valladolid* quod
Vallem Oleti sunt qui interpretantur. *Ἰβηνα* Ptolemæo, *Pintia* Antonino, ut cenfer Carolus Clusius. *Simanca*, Anto-
nino *Septimania*. *Gamora*, Ptol. *Sarabris*, ut Clusio videtur; quæ vitiose *Sabaria* apud Antoninum: *Sarabrum* tamen
esse putat Florianus del Campo & Gomerius opidũ illud, quod vulgo vocatur *Toro*, Latinis *Taurus*, ad Durium flu-
vium. Non autem postremi hic visitur loci *Salamantica* Antonino, & Ptolemæo, *Salmatis* Polyæno *Salamanca* vulgo,
Hanc a Salaminiis & Atticis, Graciã Populis conditam notant Ioannes Gerundenis Paralip. Hist. lib. 11, & Ioannes
Vassæus Hispaniã Chronico ad annum post diluvium c10 cxxxix. Haud procul hin ad fluvium, qui vulgo *Gadu*, *Ci-*
vitas Roderici Comitiss, *Cuidad Rodrigo*; quæ ut putant Vassæus & Clusius, *Ἰσθμὸν* Ptol. Celticorum opidum in
Lusitania. Tendentibus hinc versus Meridiem occurrit *Coria*, *Caurita* quondam, ut scribit Clusius: *Caurita* a b La-
tinis Junioribus appellari tradit And. Scotus. *Cauria* versus Ortum ad nonam circiter Leucam est *Placentia*, urbs
pulcherrima: cuius Ciria, ceterique Arborum fructus, nec non Panis candidissimus maxime solent commendari &
expeti: *Placentia* vulgo, Habet Placentia sub sua ditone Opida amoenissima, in quis ex *Xarabiticum* Nemoribus su-
perbiens, & *Pisaro* in Convalle jacens, velut altare, ut Marinus notat, in Testudine templi. Montes Placentiã adja-
centes, ab ipsa urbe *Vera de Placentia* cognominantur. Quæ *Avila* hodie, Ptol. *Ἀβυλα* nuncupatur, ut vult Clusius.
Haud procul fontibus *Areva*, *Segobia* jacet, quæ Plin. & Antonino *Segovia*, ut hodieque Ptol. *Ἰσθμὸν*. Vrbs est La-
nificio & Aquã ductũ visendo Romani operis nobilis: in qua, ut Vassæus scribit, illud memorabile, quod illic nemo
cõspiciatur ociosus, nam mendicus, nisi qui per artem aut morbum opus facere non possit: quum nulli desit, unde
de victum quærat; aut in quo se exerceat. Quæ nunc *Aranda* ad Durium flumen, *Ἰσθμὸν* Vaccorum urbs est Ptol.
in Hispania Tarraconensi; *Rauda* Antonino ex emendatione Hieronymi *Surita*: nam antea *Raudaclunia* cum altera
mansione mista legebatur. Quæ incerto Scriptori *Exoma*, *Vxoma* Plin. est, qui addit nomen hoc crebro alijs in locis
usurpari, *Vxama* per Sin in antiquo marmore legitur: *Oma*, hodie dicitur. Reliquas nominatis a nobis adponendas
Curiosioribus relinquimus. Fuerunt olim hic etiam alia Vrbes nobilissimæ: sed quæ vel dirutæ, vel tantam passã
calamitatem, ut de loco certo parum constet. Inter eas principem facile locum tuebatur *Numantia*, totius quondam
Hispaniã robur, fortiumque Militum genitrix, quantum, inquit Florus lib. 11. Hist. Rom. cap. xvii, *Carthaginis*, *Ca-*
pua, *Corinthe* opibus inferior, ita Virtutis nomine & honore par omnibus, summumque, si viros æstimes, Hispaniã dicitur; quippe
quæ sine Muro, sine Turribus, modice edito in tumulo apud Flumen Durium sita, quatuor millibus Celtiberorum lx militum exer-
citiũ, per annos xlii sola sustinuit: nec sustinuit modo, sed sevis aliquando perculit, pudendisque fœderibus adfecit. Novissi-
me quum invocata esse constaret, opus quoque eo fuit, qui Carthaginem everterat. Numantiã quasi coronabant præignes
alia vrbes. *Graccuris*, *Turiso*, *Augustobriga*, *Clunia*, *Segisamunculum*, *Segisama Tula*, *Intercatia*. Sed hæc de urbibus & o-
pidis sufficiant. Durium fluvius Castellam veterem interfuit, in quem tot Amnes & Rivuli concurrunt, ut maximus *Flumina*,
Hispaniã ceteratur, licet parum sit navigabilis ob rapidum cursum, obque angustiam; magnis artamem navigijs per-
meabilis est ad centum miliaria & amplius. Hic ceteris Amnibus Minio excepto, grandiores fert Alofas, Lam-
petras & Troctas quas iure præferunt delicatioris gulæ æstimatores, Salmonum parior & Sturionum. Habet Castellã
Vetus Clarissimam Academiam in urbe *Salmantica*, varijs Pontifici Regumque Privilegijs ornatam, Disciplina-
rum omnium genitricem, a qua omnes fere Hispaniã Vrbes & populi tamquam a Domina, Leges petunt & iura.
Hinc Consiliarij, Theologi, Iuriconsulti, Medici, reliquorumque scientiarum Magistri in varias Hispaniarum Pro-
vincias & Regna peti proficiscique confluerunt. Iura ibi sunt professi Didacus & Antonius Covarruvia, uti ipse
Didacus in Varijs Resolutionibus testatur, non uno loco. Dominicus a Soro lib. 1. de Iustitia & Iure suam vocat A-
cademiam. Hęc de Castellã Veteri dicta sufficiant, ad Novam transeamus.

Regio.
Situs.
Soli ferti-
litas.
Anima ium
varietas.

Castella